DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA;

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XIV. DECEMBRIS.

M. IOANNE DE BOVRGES Doctore Medico Præſide.

1060.

An aliqua pulmones inter ac teſtes ſympathia?

NIHIL ferè in rerum naturâ maiorem ſui parit admirationem, quàm quæ paſſim obſeruatur rerum aliquot planè diuerſarum, earumque omni ſenſu carentium arcta inter ſe amicitia aut inimicitia; συμπάθειαν & ἀντιπάθειαν Græci, Latini conſenſum & diſſenſum vocant, alij concordiam & diſcordiam. Conſpicua illa in magnete ad polum arcticum ſe non aliter quam flamma ſurſum, lapis deorſum conuertente, ad ſe verò ferrum vi non minùs abditâ attrahente, ſic electrum paleæ coniungi amat, ſic vitis vlmo, non braſſicæ, quam æquè auerſatur ac lupum agnus, Leo galli cantum; hinc etiam animalium τὰ ἰοβόλα totam demorſi corrumpunt ſubſtantiam, nonulla alicui tantùm parti bellum indixere, putà veſicæ cantharides, pulmoni lepus marinus, quin & feras ipſas præſentiſſimo veneno turgentes, atque imprimis ſcorpionem, ſuæ plagæ remedio eſſe, non impoſitas tantùm ſed & comeſtas, veteres prodiderunt, ipſaque Viperarum carne conſtans theriaca planè conuincit. Hæc omnia non ſine admiratione, cuius cauſa, cauſæ nemini adhuc perſpectæ ignoratio eſt.

NON ita de eâ quæ varias inter humani corporis partes intercedit, ſympathiâ cenſendum, quam vulgus indoctum admiratur quidem vt cæteras, non medicus ἰατρὸς qui certam eius nouit rationem ex viciniâ, generis operiſue ſocietate, & vaſorum communione repetendam. Non mirum ideo ſi vtero vel recto inteſtino imflammatis ἰσχουρία aut δυσουρία, & viciſſim veſicâ ab vlcere phlegmone aut calculo laborante teneſmus oriatur; ſi vomitus læſo cerebro aut menyngibus, cephalalgia ventriculo impurâ quavis illuuie, bilioſâ potiſſimùm referto, ſuperueniat: Si difficilior euadat reſpiratio malè affectis hepate aut liene, ſi neruoſa pars neruoſæ, venoſa venoſæ, arterioſa arterioſæ condoleat, ſi vtero mammæ, pulmones teſtibus, quanquam longâ ab inuicem intercapedine diſiuncti ſint, compatiantur: aborſum facturis mammæ graciles fiunt; hinc & frequens ex tuſſi in teſtium inflammationem, & contra è teſtium tumore in tuſſim μετάστασις.

QVANTA eſt teſtium ad ſpeciei, tanta eſt ad indiuidui conſeruationem pulmonum neceſſitas, gemini illi præcipua generationis organa, partibus principibus iure annumerantur, ſubſtantiâ conſtant molli, cauernoſâ, albâ, glandulæ non abſimili, temperiem ſortitâ calidam & humidam, in qua materia ſeminalis à toto corpore decidua, ſpermaticis in venis & arteriis, ortu non inſertu differentibus, nec non in epididymide præparata, perfectè tandem elaboratur, verumque & expreſſum induit ſeminis characterem; illi ipſi nonnullis animantibus, iiſque ſalacioribus, adeoque & βραχυβιωτέροις, intus abditi latent, homini caſtiori & μακροβιωτέρῳ foras penduli prominent, externis iniuriis magis oportuni, ni ab iis multiplici quâ obuoluuntur tunicâ, duabus propriis, totidem communibus vindicarentur. Sic porrò ſunt à natura comparati vt dum præcipuo ſuo operi generis propagationi incumbunt, nonnihil & indiuiduo conferant vtilitatis; ab iis ſuum circa pubertatis annos robur & perfectionem adeptis, tanquam altero natiui caloris fonte corpus vniuerſum incaleſcit, ex molli & imbecillo durius euadit & robuſtum, hirſutum ex glabro. Item propria pulmonis actio vox, amplificato thorace eiuſque dilatatis vaſis, ex acutâ mutatur in grauem, quæ iis fortè exſectis, denuò gracileſcit.

GEMINI quoque pulmones, præcipua vocis, & abſolutè ad vitam neceſſariæ reſpirationis organa, nullum quidem obtinent in corpore principatum, aſt viſceri omnium nobiliſſimo & facilè principi, multiplicem ſuam, qua carere illud minimè poteſt, operam impertiunt, exæſtuanti illi refrigerium, vnà & idoneam generando ſpiritui vitali materiam inſpiratione ſubminiſtrant, expiratione, fuliginoſa eius excipiunt excrementa ad efformandam vocem, animalibus pulmone carentibus denegatam, aptiſſima. Dextrâ læuâque illud culcitræ inſtar amplectuntur & ab oſſium thoracis duritie deffendunt, ad quæ præclara obeunda munia accommodatam nacti ſunt & ſubſtantiam & ſtructuram, illa leuis, mollis, ſpongioſa, eodem quo teſtes prædita temperamento, in quatuor diuiditur lobos, prætenui tunicâ obductos, per quos intimos triplex vaſorum excurrit genus, vt ortu ſic & vſu differentium, à dextro cordis ſinu vena prorumpens copioſum indè ſanguinem depromit ac deducit in pulmones, eſtque hic vſus eius vnicus, duplex verò aſperæ, quæ à faucibus oritur, arteriæ, externi ſcilicet aëris attractio & fuliginis foras expulſio, aſt arteria læuis à ſiniſtro cordis ſpecu enata, triplici munere fungitur, fuliginem à corde in pulmones, & à pulmonibus in cor inſpiratum aërem, item & ſanguinem ab arterioſâ venâ tranſſumptum deducit.

ITA ſanè dum valent thoracicæ partes ſuum quæque facilè munus obeunt, difficulter & cum dolore ſi à cauſis morbificis laceſſantur. Quæcumque materia calida frigidave, tenuis aut craſſa, aliundè illapſa aut illic genita pulmonum fiſtulas oppleuerit, ilicò, ἄσθματα, δύσπνοιαι, ὀρθόπνοιαι. βράγχοι ἀφωνίαι. βῆχες, στηθέων καὶ πλευρέων πόνοι. Symptomata quibuſlibet in morbis potiſſimùm in acutis peſſima. Ab ijs vt ſe pulmones tueantur ac liberent, nihil relinquunt intentatum, ſi præ moleſti humoris craſſitie, tenuitate, cruditate, aliave prauâ qualitate optatam eius διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων promouere nequeunt, ἀναχρέμψιν, πτεῤῥοιαν tentant, διάῤῥοιαν, ἀπόστασιν earum quibuſcumque neceſſitudinem habent partium, putà vicinarum, parotidum, quarum tumor peripneumoniæ ſuperueniens, ſalutaris; putà teſtium longiùs quidem diſſitorum, ſed mutuo ad edendam vocem concurſu, ſed arteriarum venoſæ & aortæ cum corde, & ipſius aortæ cum ſpermaticis continuatione ſibi coniunctorum; hinc per auſtrinam Thaſi conſtitutionem multis aridæ tuſſes & raucedines, ac paulò poſt inflammationes cum dolore in teſtes erumpebant; hinc diuturnæ tuſſes in teſtium tumores deſinunt; hinc varix alterutrius teſtis ἰσχνοφωνίαν ſoluit, adeo vt nullus ſuperſit dubitationi, nullus admirationi locus de celebri hac Hippocratis Sententia ὄρχις οἰδήσας ἀπὸ βηχέων ὑπόμνημα κοινωνίης στηθέων, μαζῶν, γονῆς, φωνῆς.

Ergo aliqua pulmones inter ac teſtes ſympathia.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Petrus Perreau.
M. Ioannes Armandus de Mauuilain.
M. Bertinus Dieuxiuoye.
M. Stephanus Bachot.
M. Ioannes Baptiſta Moreau Profeſſor Reg.
M. Euſebius Renaudot.
M. Ioannes du Cledat.
M. Claudius Quiquebeuf.
M. Antonius Charpentier.

600

Proponebat Lutetiæ ANTONIVS MORAND Pariſinus, A. R. S. H. M. DC. LVI.